

à Deo facta sunt, bona condita fuisse: omnia verò sunt ab eo creata. Itaque diabolum & hominem ipsum se suamque naturam, quæ prius bona erat, corrupisse: & eius actus, quod malum & peccatum vel vitium rei dici debet, rei que iam conditæ superuenit, authorem esse. 1 De quo argumento aduersus Manichæos infinita propè scripsit Augustinus, isque legendus est. 2 Error. Æonas Valentinianorum, eorumque propagines & productiones, vt alij ex aliis nascantur, renouarunt, suntque amplexi. Qua sententia nō modò ridicula fit tota de Filij ex Patre generatione fides: sed etiam blasphema de Deo opinio hominum animis inferitur dum Deum hominum more fluxu seminis atque ita partitione quadam separationēque substantiæ generasse fingunt. Theodoretus. 3 Iudæorum morem in celebrando Pascha retinent, præfractēque obseruandum, aliāsque Iudæorum ceremonias docent, atque ita latēter, vt ait Tertul. Iudaismum in Ecclesiam Dei reuocāt, & reponūt. Cætera sunt Valentiniani, atque ita ex mala stirpe malus furculus.

## CAP. LXVII.

Æternales, & eorum error quis fuerit.

**H**eresin: quādam sine authore, & sine nomine Philaster commemorat, quæ dicit hūc mundum etiam post resurrectionem mortuorum in eodem statu in quo nunc est, esse mansurum, neque ita esse mutandum, vt sit celum nouū, & terra noua, sicut sancta Scriptura promittit.

1 Heresin